



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 184. Basileensium anxetas ob Panormitani orationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

tata hac animi sententia Basileensibus fa-Sæcul. XV.  
vere statuebat, atque ad Felicem hoc anno A C. 1441.  
Virum ablegabat, qui ejus nomine Ama-  
dæo tanquam Pontifici reverentiam exhi-  
beret, ac obedientiæ homagium exsolveret,  
simulque grates rependeret pro collato  
Cardinalatus honore, quem hucusque  
haud aliam ob caussam acceptare cun-  
statis esset, quam quod jam antea hac  
dignitate ab Eugenio auctus fuisse. Præ-  
terea Polonorum Rex, qui dudum sua  
obsequia Felici addixisset, si præter Re-  
gis Hungariæ titulum, etiam pecunias  
ex indulgentiis collectas obtinuisset, ei-  
dem denique adhærere visus est, dum in  
ditionibus suis Eugenio Papæ obedien-  
tiam præstari prohibuit.

§. CLXXXIV.

*Basileensium anxietas ob Panormitani  
orationem.*

Patricius ad hunc annum refert turbas,  
quas inter Basileenses sermo quidam Aug. Patric.  
ab Archiepiscopo Panormitano prola- loc. cit. art.  
tus excitaverat. Rem hisce verbis nar- 120.  
rat Patricius. In celebritate Pentecostes,  
cum Felix rem divinam faceret, Panormita-  
nus sermonem habuit, in quo, cum de au-  
toritate Concilii & Papæ loqueretur, as-  
Tt 3 feruit

**Secul. XV.** seruit, Papam esse majorem generali Concilio: neque recte agi a Patribus, quod nomen Pontificis nomini Concilii postponerent, quoniam ipse esset caput Concilii, & Episcopu Universalis Ecclesiae; sed hanc prærogativam habere Pontificem in rebus alienis (scilicet suam Personam non concernentibus) in factis autem propriis ita Papam subesse Concilio, ut etiam pro quocunque peccato mortali notorio Ecclesiam perturbante posset a Concilio judicari. In alienis autem judicium ad eum omnino pertinere, ad quem etiam definitiones fidei spectarent, tamen praesente Generali Concilio. Hac Panormitani verba multorum Patrum Basileensium animos admodum perturbarunt, putantes, ea aperte contra Basileenſis (\*) Synodi doctrinam esse, & in favorem Eugenii. Monitus super his Panormitanus coram Felice & Cardinalibus suis, se multis verbis purgavit, ostendens prius, qua & quanta fecisset pro auditoritate & defensione sacri Concilii: se ea verba protulisse ardore quodam sermonis, & non ea intentione, qua multi acceperant, sed neque ita esse interpretanda. Proinde acciperent ejus bonam mentem, qui auditorati Conciliorum favisset semper, faveretque, quo ad viveret.

§. CLXXXV.

(\*) Textus habet Constantiensis.